

Syllabus Pii Pontificis Noni in universa re philosophica iuxta mentem S. Thomae Aquinatis recentiumque philosophorum [Fortsetzung]

Autor(en): **Angelis-Stella, Guilelmum De**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **6 (1892)**

PDF erstellt am: **11.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-761974>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Gerade wegen der epigrammatischen Form, in der Scheffler seine Gedanken niedergelegt hat, ist es geboten, die Exegese auf das sorgfältigste zu betreiben. Demgemäß werden wir nichts für von Scheffler gesagt ausgehen, was wir nicht sofort auch mit sicheren Aussprüchen belegen können, und wo wir, etwa zur Ausfüllung einer Lücke, aus eigenen Mitteln etwas vorbringen, dieses stets auch als solches kennzeichnen. Freilich ist auch hiermit eine Gewähr für völlige Objektivität nicht gegeben, da schon in der Auswahl der zu Grunde gelegten Sprüche, die dem Judicium des jeweiligen Darstellers überlassen bleiben muß, ein starkes subjektives Element enthalten ist.

Vorbemerkung: Die Anordnung der folgenden Kapitel scheint uns, als die dem Gegenstande natürliche, im allgemeinen keiner Rechtfertigung zu bedürfen. Nur Eins könnte Bedenken erregen. Die Erkenntnistheorie (Kap. 1 u. 4) erscheint bei uns durch die Lehre vom Ding an sich (Kap. 2 und 3) aus einander gerissen. Aber das diskursive und intuitive Erkennen, welche das 4. Kap. bilden, sind von Scheffler nur in Beziehung zu Gott gedacht worden und setzen daher die Kenntnis seines Gottesbegriffs voraus, während andererseits das intuitive Erkennen wegen seines engen Zusammenhanges mit dem Sittlichen gut zur Ethik hinüberleitet. Zu vermeiden ist dabei freilich nicht, daß schon in Kap. 2 bei der „verneinenden Beschawung“ auf den Unterschied des diskursiven und intuitiven Denkens Bezug genommen wird, welches aber ein geringerer Übelstand ist, als wenn bei Anfügung des 4. an das 1. Kapitel fortwährend schon Schefflers Anschauungen über Gott vorausgesetzt werden müßten. (Schluß folgt.)

— ❁ —

SYLLABUS PII PONTIFICIS NONI IN UNIVERSA RE
PHILOSOPHICA IUXTA MENTEM S. THOMAE
AQUINATIS RECENTIUMQUE PHILOSOPHORUM
per Prof. Dr. Guilelmum De Angelis-Stella Neapolitanum
evolutus.

— ❁ —

Demum scientiarum artiumque initium progressusque mundi infantiam ostendunt. Ante Hebraeorum legum latorem quis germanae qualiscumque scientiae vestigia patefecit? Ante

Thaletem et Pythagoram vix philosophiae notio est audita. Picturae atque sculpturae artes, solum felicioribus Graeciae temporibus, late longaque valuerunt. Italia ipsa politioris cultus primaeva monumenta habebat, cum vix e barbarico sinu Graecia caput efferre incipiebat, quae monumenta cum in illis Etruriae innitantur, in illam incidunt epocham, qua homines post phallegicam dispersionem primam societatem iniverunt. At si mundi creatio esset aeterna, quomodo fieri poterat, ut hominum ingenium tanto temporis spatio prorsus incultum lateret? ergo mundus non est ab aeterno conditus.

Ex quo consequitur, quod valde inter antiquos fuerit sub iudice, utrum mundi creatio doctis patuerit. Nos cum S. Thoma ac Bonaventura in sententia sumus creationem illos latuisse, quidquid Plato in suo Timaeo adfirmet. Verum quocumque modo haec controversia definiatur, contra Venturam, dicimus, hic non inquiri quid sapientes ethnici de mundi origine senserint, sed quid ratio humana de illa nobis patefaciat; quare vindicamus scientiam proprie dictam de mundi creatione posse adipisci. Sane cognitio rei tum est scientifica, cum ex intrinsecis dotibus ipsius rei conficitur; at contra cognitio certa obtinetur etiam ex principiis, quae non sunt intrinseca, sed aliunde decerpta. Iam vero quoniam probatio indirecta non ex principiis intimis rei, sed ex absurdis desumitur; his positis, certa et inconcussa cognitio id genus de mundi creatione potest haberi, quia tam est certum quod probatur verum, quam est certum absurdas esse consequentias, ad quas eius negatio ducit. Quoniam vero probatione directa cognoscimus principia, quibus productio mundi nisi creatio ipsius esse possit; ideo argumentis directis de creatione scientiam veram adipiscimur. Equidem fatemur rationem humanam non posse actum creativum comprehensive cognoscere, ut non solum eius existentiam, sed naturam intelligat. Actus enim creativus ad virtutem infinitam pertinet; contendimus tamen rationem humanam actum creativum inadaequate posse cognoscere, nempe quod Deus mundum e nihilo effecerit, quod terminus creationis sit finitus, id procul dubio ratione humana cognosci potest. Cognito autem termino alicuius actus, saltem existentia ipsius actus cognosci debet, quin infinitas ipsius actus comprehendatur. Quod si creationis scientia adipisci possumus, iure meritoque in Giobertium vindicamus, de creatione a priori et a posteriori demonstrationem confici posse. Namque ipse in suis argumentis, quibus sententiam vindicat, duo confundit, videlicet Deum esse mundi causam, atque mundum Dei esse effectum, cum alia veritate, Deum esse causam creatricem mundi, et mundum esse per creationem

genitum a Deo: quae duo sunt sane omnino distinguenda. Aliud est enim quaerere, an Deus sit mundi causa, aliud, an sit eius causa creatrix, cum permulti inveniuntur, qui Deum esse mundi causam putent, quin Deum esse causam creatricem arbitrentur. Proinde in demonstratione a priori, primum est ostendendum, Deum mundi causam esse; qua posita cognitione, Deum causam mundi creatricem esse facile ostendi potest. Item postquam vindicatum sit, mundum Dei esse effectum, a posteriori vindicatur mundum esse a Deo per creationem genitum.

Postquam ample locuti sumus de actione Dei quoad mundum, necesse est loqui de actione Dei quoad homines, clarioribus verbis de providentia.

Deus in se perfectissimus, nullius indigens, sed sibi infinite sufficiens, voluit has suas perfectiones ad extra effundere, omnesque creaturas illarum participes fieri, ut inde bonae essent, quod ipse bonitas sit. Ad rem Aquinas, 1^a q. XLV art. VII inquit: In creaturis omnibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum vestigii, quia in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quae necesse est reducere in divinas personas, sicut in causam. Quaelibet enim creatura subsistit in suo esse, et habet formam, per quam determinatur ad speciem, et habet ordinem ad aliquid aliud. . . . Secundum igitur quod est aliqua substantia creata, repraesentat causam, et sic demonstrat personam Patris; secundum quod habet formam, repraesentat Verbum, in quo sunt divina exemplaria; secundum quod habet ordinem, repraesentat Spiritum sanctum, in quantum est Amor. Hanc doctrinam vindicans Aligherius, summus divinusque vates, aiebat: Par. c. 1^o:

Le cose tutte quante
Hanno ordine tra loro; e questo è forma,
Che l'universo a Dio fa simigliante.
Qui veggion l'alte creature l'orma
Dell' Eterno valore, il quale è fine,
Al quale è fatta la toccata norma.

Quod si tantam creaturis bonitatem sit elargitus, omni iure homo ad Deum est dirigendus, cum suapte natura eius bonitatem sapientiamque ostendat. Quid hac re dulcius, quidve iucundius? Verum enimvero, apud Damascenum, qui non providet, non est bonus; nam et homines et bestiae propriorum foetorum providentiam habent, naturali quodam instinctu. Qui non providet, vituperari idem cupit; ideo Deus, sui operis amantissimus, gerere curam voluit, ut ostenderet se esse patrem, bonum, sapientem; atque homines necessitate compulsi statim ad numen divinum

se reciperent; et in repentinis periculis, inopinatis perturbationibus Dei nomen invocarent. Sed, uti moris est, homines seducti atque invicem seductores omnem Dei bonitatem detrectare sunt ausi; iidem, ad cultum pessumdandum, honestatem repellendam, Dei providentiam in homines denegare haud dubitarunt. Itaque, vindicata mundi creatione per Deum effecta, thesim statuimus, qua et hanc veritatem comprobamus, erroresque hostiles retundimus.

Initium nobis erit a S. Thoma. Ipse enim (s. c. gen. l. 3. c. 1) ait: Necessse est ut Deus, qui est in se naturaliter perfectus, et omnibus entibus ex sua potestate esse largitur, omnium entium rector existat, a nullo utique directus; nec est aliquid, quod ab eius regimine excusetur, sicut nec est aliquid, quod ab ipso esse non sortiatur. Est igitur, sicut perfectus in essendo et causando, ita etiam et in regendo perfectus. Sed eiusdem regiminis effectus diversimode in rebus apparet. Quaedam sic a Deo producta sunt, ut intellectum habentia eius similitudinem gerant et imaginem repraesentent, unde et ipsa non solum sunt directa, sed et seipsa dirigentia secundum proprias actiones in debitum finem. . . . Alia vero intellectu carentia seipsa in suum finem non dirigunt, sed ab alio diriguntur, quorum quaedam, incorruptibilia existentia, sicut in esse naturali pati non possunt defectum, ita in propriis actionibus ab ordine in finem eis praestitutum nequaquam exorbitant, sed indeficienter regimini primi regentis subduntur. . . . Alia vero, corruptibilia existentia, naturalis esse pati possunt defectum, qui tamen per alterius profectum completur; nam, uno corrupto, aliud generatur. Et similiter in actionibus propriis a naturali ordine deficient; qui tamen defectus per aliquod bonum inde proveniens compensatur. Ex quo apparet quod nec illa, quae ab ordine primi regiminis exorbitare videntur, potestatem primi regentis evadunt; nam et haec corruptibilia corpora, sicut ab ipso Deo condita sunt, ita potestati eius perfecte subduntur. — Sed contrarios habemus Deistas, Fatalistas, Epicureos, qui, quamquam Deum esse fatentur, ipsi tamen adimunt providentiam. Omnia enim ex naturae impetu, ac fatali necessitate ferri adfirmant. Stoici vero, et si rerum praecellentium curam Deum gerere vindicarent, tamen minimarum procurationem divinitate indignam rebantur; quorum sententiam ex recentioribus Cudworthius iterum excitavit. Sed ad inceptum redeamus. Boëthius providentiam divinam ita describit: Divina ratio in summo omnium principe constituta, qua cuncta disponit. Sanctus Thomas vero eam definit rationem ordinis rerum in finem, quae existat in Deo. Iam vero Deus infinita pollet intelligentia, proinde, si mirificam

mundi compagem e nihilo condidit, res quascumque influxu suo continenter asservat, atque ad singulas operationes adiuvat. Haec omnia non caece, sine consilio, et cum temeritate operatur, sed rationis ductu ad aliquem finem spectando; ideoque universa, quae in mundo contingunt, nulla excepta re, ex divina pendent operatione. Atqui id notio gubernationis importat, Deus ergo omnium rerum est gubernator et rector. Ad hoc Dei prudentia ac bonitas hanc veritatem confirmat. Prudentis enim bonique artificis est, operum, quae mira elaboravit arte, atque ad usus illis maxime idoneos genuit, curam solertissimam gerere, ipsaque, ex eorum conditione, ad finem praestitutum assequendum fovere. Ergo, nisi Deum imprudentiae et feritatis insimulare velimus, quibusque rebus consulere est fatendum. Sanctus Ambrosius: Quis operator, inquit, negligat operis sui curam? Quis deserat et destituat, quod ipse condendum putavit? si injuria est regere, non est major injuria fecisse? cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa est inclementia. Sed quaenam causa Deum ab ejusmodi administratione deterreret? Num quod divinam dignitatem dedeceat? At potius illam mirum in modum commendat? Num quod non omnia eius potentiae et cognitioni subjiciantur? At Dei scientia et potestas nullis finibus coërcetur, sed ad omnia protenditur. Num quod Deus providendo nimium fatigetur? At est absurdum, cum Deus nulli labori sit obnoxius, sed uno voluntatis nutu omnia peragat. Eadem veritas tertio comprobatur ex miro ordine, quo mundi machina est constructa ac temperata. In tanta enim rerum vicissitudine, in tanta elementorum pugna tam mirabilis consensus, tam mutuus nexus et conspiratio, ac fere dixerim, tam admirabilis concentus consistere nequaquam posset, nisi adesset moderator, cuius imperio omnia parerent.

Num opinabimur navem sine gubernatore ad portum appellere posse, urbem, remoto omni duce, ordine progredi, gymnasium vel domum, nullo rectore, adhuc manere? Haec omnia sunt absurda, imo inverosimilia, ideoque rerum creatarum moles, naturis multiplicibus ac dissentientibus coagmentata, ablata Dei providentia, statim per se in nihilum corrueret. Quod si de hominibus actionibusque humanis loquamur, multo clarior veritas apparebit. Nequit enim concipi tantum facinus de divina bonitate, ut, postquam hominem procreaverit, eique nobilissimum finem proposuerit, deinceps facti poeniteat adeo, ut illum fortunae ictibus tradiderit. Cui enim liceret dicere, postquam Deus legem naturalem nobis dederit, qua ab inhonestis revocamur et ad honesta impellimur, honesta hominum facta a pravis non discerni, neque

illis praemia, his poenas constitui. — Ergo in pessum iret Dei sanctitas. Ad hoc Dei sapientia non subsisteret, si, in tutum recepta hominum voluntate, arbitrium hominis ita moderaretur, ut determinatus ordo, quem praestituit, clarior non nitesceret? Tandem Deus, ablata providentia, sibi ipse dissentiret, qui tanta cura illa, quae minimi hominis intersunt, comparavit. Quis enim non admiratur humani corporis structuram, varietatem, usumque singularium partium? Quid, si oculos convertamus ad artificiosissimam mundi fabricam? Tot tantaque portenta conspiciuntur, ut mentem omnino obruant. Quid dicemus de flosculorum multitudine, ut illos peritissimus pictor in imitando laboret? Quid de tantulo ficus grano, aut acino vinaceo, aut frugum minutissimis seminibus, ut immanes trunci et rami et arbores fiant? Potestne igitur credi vel concipi tam benignum Numen, quod tam profuse cum homine egerit in iis, quae parvi momenti sint, pristinae dilectionis oblitum cetera non curare, quae animum, mores finemque attingant? Ad rem Pallavicinus (arte della perfezione cristiana) ait: Chi non si riputerebbe sacrilego temerario, se nella bontà posponesse ad ogni uomo più dissoluto l'autore dell' Universo, il quale ha mostrato tanto gran zelo del nostro bene, fabbricando alle anime nostre una stanza di sì stupendo lavoro, qual' è il corpo organizzato, donandone un reame sì vasto, sì ricco, sì copioso, sì dilettevole, qual' è tutto il giro terrestre? Or conoscesi che niun uomo è così dissoluto e così disprezzator dell' onesto, che tanto o quanto, almeno in altrui, non ami la probità e non abbomini il vizio; e che avendo un figliuolo, niente gli caglia di vederlo bene o male costumato, che non lo raffreni dallo sconcio operare, con dargliene disciplina, e non l'alletti al ben fore, rimeritandolo con carezze. E vorremo figurarci in Dio, fonte di ogni bene, tale aridezza di bontà, che nulla diversifichi nell' amore l'innocenza dalla scelleraggine, che tratti egualmente gli ottimi ed i pessimi, che avendo cura, perchè venga a suo diritto ogni nostro capello, trascuri ciò che a noi è il massimo e il prestantissimo, secondo quella stessa norma, che egli ci ha stampato nel cuore, cio è la virtù; e che dopo avere scritto qui vi nel suo dito una legge, per cui divenghiamo rei ed odiosi a noi stessi, qualora posponiamo qualsivoglia gran caterva di altri beni all' onesto, niente poi gli sia in grado o in dispetto chi ne è osservatore ovvero trasgressore; ma lasciando l'uno irremunerato, l'altro impunito, noi suoi figliuoli tanto amati e beneficiati nel resto abbandoni con la briglia sul collo in preda alle inclinazioni frutali? Niuna setta più abominevole d'idolatri giunse a formare cotanto indegna divinità; perocchè se quei forsennati

ascrivevano ai loro numi alcun vizio, l'accompagnavano a molti onesti e laudevole sentimenti; nè mai pervennero a divisare, specialmente nel maggior Dio, un animo nulla curante delle opere virtuose, senza distinguerle nell'affezione e nella retribuzione dalle malvage. In breve il più irrazionale degli uomini sarebbe simile a questo Dio. Tandem quid tam ratum apud omnes gentes, quam divinae providentiae existimatio? Id ostendit religio, quae ab omnibus maxime barbaris nationibus exhibetur; id sacrificia vel bonorum consequendi vel malorum avertendi causa oblata demonstrant; id conscientiae stimuli, quibus homines ob flagitia animis latentia anguntur; id in summis periculis supremi numinis sponte erumpens invocatio; id in rebus adversis preces effusae significant. Quae cum explorata sint, amplius non moramur, sed ad nonnullas difficultates veniamus oportet. Deistae asserunt, si omnia Dei providentia administrarentur, nihil in mundo fore fortuitum; quod certe experientiae contradicit; ergo nulla est Dei providentia. Huic difficultati cum S. Thoma — Sum. c. gent. lib. III. c. LXXIV — respondemus: Multitudo et diversitas causarum ex ordine divinae providentiae et dispositionis procedit: supposita autem causarum dispositione oportet unam alteri quandoque concurrere, per quam impediatur vel iuvetur ad suum effectum producendum. Ex concursu autem duarum vel plurium causarum contingit aliquod causaliter evenire, dum finis non intentus ex concursu alicuius causae provenit: sicut inventio debitoris ab eo, qui ibat ad forum emendi aliquid causa, provenit ex hoc, quod debitor etiam ad forum venit. Non est igitur divinae providentiae contrarium, quod sint aliqua fortuita et casualia in rebus. Sed animadvertere iuvat omnia creata intelligentia finitam cognitionem et activitatem habere, proinde multa posse evenire, quae fortuita dicantur. At Deus, causa absoluta, cuius praesentionem nihil unquam elabatur, fortuitos nullos habet eventus; quare si fortunam nonnullis rebus, quae praeter nostram expectationem contingunt, tribuimus, id nequaquam respectu supremi ordinatoris posse proferri reputamus. Alii vero asserunt rerum supremarum Dei providentiam esse admittendam, sed minimarum administrationem negandam. Huic quidem difficultati respondeo cum S. Thoma — Summa contra gentes lib. III. c. LXXV —: Si Deus horum minimorum curam non habet, aut hoc est quia non cognoscit ea, aut quia non potest, aut quia non vult rerum curam habere. Non potest autem dici, quod Deus singularia non cognoscat, quia Deus omnium notitiam habet; nec potest dici, quod Deus eorum curam habere non possit, quia eius potentia est infinita; nec quod haec singularia guber-

nationis non sint capacia, quia videmus ea gubernari rationis industria, uti patet in hominibus; et per naturalem instinctum, uti in apibus . . . neque dici potest, quod Deus non velit ea gubernare, cum voluntas ipsius sit universaliter omnis boni. Bonum autem eorum quae gubernantur, in ordine gubernationis maxime consistit. Quare est dicendum, quamvis Deus nobilioribus creaturis intelligentia et voluntate praeditis peculiarem curam largiatur, idcirco res minoris momenti ab eius providentia atque infinita mente non eximi. Sed adversarii impensius urgent, in mundo aequam non esse bonorum distributionem, quia frugi homines innumeris calamitatibus premuntur, contra nequam divitiis affluent: quod certe non esset, si Dei providentia admitteretur. Respondeo dicendum esse in primis falsum probos in aerumnis, malos in prosperitate versari, quod si saepe contingat, contrarium tamen saepe intervenit. His positis, tum iustos cum improbos oboedire decet, quia hominum genus naturae conditione tenetur, eiusque vicibus subicitur, ideoque ex mutabili actionum liberarum cursu mala aliqua vel bona utrisque proveniunt. Quod si Deus iustum quodam infortunio liberaturus, impium statim post scelus patratum poena multaturus esset, certe non modo libertatis usum, verum etiam rerum naturalium cursum invertere deberet, proinde, quamvis id posset, legum generalium constantiam perverteret. Ad rem Le Maistre — Serate di Pietroburgo — advertit: Convenivate che male a proposito si sofisticava contro la Provvidenza rispetto alla distribuzione dei beni e dei mali, ma che lo scandalo consiste nell' impunità degli scellerati. Io non so se possiate rinunciare alla prima obiezione, senza abbandonare del pari la seconda, perciocchè se non avvi ingiustizia nella distribuzione de' mali, sopra qual fondamento stabilirete voi le doglianze della virtù? Non essendo retto il mondo, che da leggi generali, non avete la pretesione, che se le fondamenta del terrazzo, sopra il quale stiamo favellando, per un qualche sotterraneo ebollimento andassero in aria, fosse Iddio obbligato a sospendere in favor nostro le leggi della gravità, per la ragione che questo terrazzo sostiene in questo momento tre uomini, i quali non hanno mai commesso nè uccisioni nè furti: è indubitato che noi cadremmo e ci rimarremmo schiacciati. E se avvenisse il contrario, ecco dunque un miracolo. E così parlando di altri fatti, ne verrebbe che ogni istante esigendo un miracolo, sarebbe questo lo stato ordinario del mondo, lo che è come dire, che non più potesse darsi miracolo, che la eccezione fosse regola. Il solo esporre idea di tal fatta è un confutarle abbastanza. Quod si iustus praesenti vita afflictionibus vexetur, impius rebus secundis fruatur,

prudencia infinita Deus est usus, cum perfectam praemiorum ac poenarum distributionem in futurum distulerit. Ideoque facile inferimus, consentaneum virtutis stipendium temporaneis commodis non contineri, sed altius esse petendum. Praeclare Augustinus — de Civ. Dei l. 1 c. 8 — Placuit, inquit, divinae providentiae praeparare in posterum bona iustis, quibus non fruuntur iniusti, et mala impiis, quibus non excruciantur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur. Quod si quis impudentius causas omnes divinae providentiae scrutari vellet, is stultitiae notam incurreret, ac illud Aligherii iure audiret:

Par. c. 19. Or tu chi se', che vuoi sedere a scranna
 Per giudicar da lungi mille miglia
 Con la veduta corta d' una spanna?
 Certo a colui che teco s' assottiglia,
 Se la scrittura sopra voi non fosse,
 Da dubitar sarebbe a maraviglia.
 O terreni animali, o menti grosse!
 La prima volontà, ch' è per sè buona
 Da sè, ch' è sommo ben, mai non si mosse.
 Cotanto è giusto, quanto a lei consuona;
 Nullo creato bene a sè la tira,
 Ma essa, radiando, lui cagiona.

Revelatio est subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressionis respondeat.

Epist. encycl. Qui pluribus. 1846.

Alloc. Maxima quidem. 9. Junii 1862.

Protagoras prior in omni quaestione pro parte vera et falsa disserere gloriabatur, impulsus Heracliti sententiis, quibus affirmabat essentiam rerum in progressu consistere, atque esse et non esse phantasiae humanae tantum tribui; ideoque opus ei fuit inferre, verum non esse neque absolute neque essentialiter, sed tantum relative, nempe quod ad subiectum, quare Tullius Protagorae tribuebat illud: Id cuique verum est, quod cuique videatur, atque illud aphorisma: *Πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος* — Homo est omnium rerum mensura. E quibus erroribus et alii processerunt. Lessing enim docebat, in genere humano vim infinitam perfectionis inesse; hoc idem Kantius atque Herder opere: *Idées sur la philosophie de l'histoire de l'humanité* vindicabant. Verum Schelling atque Hegel, Vici vestigia

sectantes, conati sunt progressus doctrinam solum metaphysicam vindicare. Sic enim Schelling: Quoniam absolutum unum idemque est, sed varie se evolvens, ideo unicum est cognitionis systema, quod sub diversis formis apparet. Ad rem Pythagoras, Parmenides, Heraclitus, Zeno, Leibnitzius, Spinoza auctores inveniuntur unius systematis sub diversis formis evoluti. Hegel autem opere: *Lezioni sulla Filosofia della storia* aiebat, historiam esse evolutionem spiritus universalis in mundo, se varie manifestantis in natura, anima et iure. Gallia quidem eiusmodi sophistas habuit. Pascal enim, Boileau, Fontenelle, Perraut docebant: Omnium hominum seriem per tot saecula spectandam esse, sicuti unum hominem, qui semper est atque discit, adeo ut veteres sapienter, si adhuc vitam gererent, propriis cognitionibus, per tot saecula depromptas alias novas addidissent. Praeterea Turgot, Condorcet, Saint Simon idem confirmarunt. Verum his omnibus haud fuerunt compertae leges immutabiles atque necessariae, quibus subiacet mens humana in suis adipiscendis cognitionibus; quibus legibus inspectis Victor Cousinius philosophiae historiam a priori constituere est adnixus. Sed fefellit eum; namque in una eademque re permiscuit philosophiae historiam cum ipsa philosophia, eiusque historiam cum humani generis historia consociavit, ideoque deduxit ex rationis evolutionibus ad universi generis statum posse argumentari; itemque intulit, uti homines, epocharum adsertores, sua illustria facinora non sibi sed epochae, in qua vitam vivebant, adscribere sunt coacti, ita philosophos variorum temporum veritatem detegere, prout cuiusque temporis conditio ferat. Demum ex methodis Schellingii, Hegelii, Cousinii recentiores Galliae progressistae suum systema sunt mutuati. Si enim omnia philosophiae dogmata sunt vera, si scientiae errores non sunt in re sed in nomine, si omnia systemata sunt ad unum reducenda, certe dicendum quod hodie est verum, cras falsum fore, prout ratio progressum ineat. Quare Lerminier et Lammenais opere: *Les Evangiles* docent: Iesum Christum scientiae absolutam reliquisse libertatem, ideoque scientiam, perpetuo rationis labore perpetuo progredi, continuo mutari. Ita quidem P. Leroux ac Iouffroy opere: *Comment les dogmes finissent?* disseruerunt, spiritum hominis transire a vero ad falsum et ab errore ad verum; si quoddam aevum possideret verum, pulchrum, iustum, omnino scientiam, moralem, artem esse definitas; quare rerum varietatem in idearum varietate consistere. His expositis doctrinis, operae pretium erit ad errores damnandos sermonem instituere. Prae omnibus petimus, unde aliquid rationem veri desumat? Docente Aquinate (1^a p. q. XVI art. 1^o): Antiqui philosophi species

rerum naturalium non dicebant ab aliquo intellectu procedere, sed illas provenire a casu. Et quia considerabant, quod verum importat comparisonem ad intellectum, cogeantur veritatem rerum constituere in ordine ad intellectum nostrum. In hoc errabant; nam veritas rerum non constituitur in ordine ad nostrum intellectum, sed ad intellectum divinum, a quo dependet, ergo Deus, non ratio sola, est veri mensura. Ad rem S. Thomas: Cum verum sit, inquit, in intellectu, secundum quod conformatur rei intellectae, necesse est, ut ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur, ut res etiam intellecta vera dicatur, secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum. Res autem intellecta ad intellectum potest habere aliquem ordinem vel per se vel per accidens. Per se quidem habet ordinem ad intellectum, a quo dependet secundum suum esse, per accidens autem ad intellectum, a quo est cognoscibilis. — Perinde ac si dicamus, quod domus comparatur ad intellectum artificis per se, per accidens autem ad intellectum spectatoris, a quo non dependet. Iudicium vero de quacumque re non sumitur ex eo, quod in illa per accidens inest, sed ex eo, quod per se invenitur; ideoque unumquodque dicitur verum absolute secundum ordinem ad intellectum, a quo dependet. Inde fit, ut res artificialis dicatur vera quoad intellectum nostrum; atque item res naturales sint verae, quoad assequuntur similitudinem specierum quae sunt in mente Dei. Quare Doctor Aquinas (Qu. disput. de Verit. q. 1^a) concludebat: Patet quod res naturales, e quibus intellectus noster scientiam accipit, mesurant intellectum nostrum, sed sunt mesuratae ab intellectu divino, in quo sunt omnia creata, sicuti artificiata in mente artificis. Ergo intellectus divinus est mensurans non mesuratus; res naturalis mensurans et mesurata; intellectus noster mesuratus quoad res naturales, sed mensurans res artificiales. Ex quo deducimus, res naturales suam veritatem a Deo desumere, non autem ab intellectu humano. Haec autem Aquinatis doctrina ab antiquis philosophis comprobatur. Plato enim (de leg. lib. IV) scribebat: *Ὁ μὲν Θεὸς πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, πολὺ δὲ μᾶλλον, ὥς φασὶν, ἀνθρώπων.* Idem Patres vindicarunt: Eusebius, Praep. evang., Anselmus, Dial. de Vero, Augustinus, de Doctr. Christ. Hic enim: Omne verum, inquit, ab illo est, qui ait: Ego sum veritas. Quisquis bonus verusque christianus Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit veritatem. His positis sic argumentamur: Intellectus divinus et non humanus est rerum mensura ideoque veri; atqui Deus est immutabilis, ergo verum, quoad intellectum divinum est immutabile. Ad hoc in rebus quidem mutabilibus est aliquod elementum im-

mutabile; atqui scientia in his elementis immutabilibus innitur, ergo scientia in suis veris est immutabilis. Quod attinet ad maiorem: Thomas exponens Aristotelis testimonium (lib. IV Met.) docebat (s. q. XLV): De ratione mutationis, quod idem aliter se habeat nunc et prius, id evenit, quum quandoque sit idem in actu aliter se habens nunc et prius, uti in motibus, secundum quantitatem et qualitatem; quandoque sit idem tantum in potentia, uti in mutationibus secundum substantiam, cuius subiectum est materia. Quam doctrinam de elemento immutabili in re mutabili Doctor ab Augustino deprompsit: Id quod corpus habet, non est idipsum, quia non in se stat. Mutatur per aetates, per mutationes locorum ac temporum, mutatur per morbos ac defectus carnales, non ergo in se stat. Corpora caelestia non in se stant, habent quasdam mutationes suas etsi occultas, certe de locis in loca mutantur, ergo non sunt idipsum. Anima humana nec ipsa stat. Quantis enim mutationibus et cogitationibus variatur, quantis voluptatibus immutatur, quantis cupiditatibus diverberatur atque discinditur! Sed in his mutationibus Augustinus rem immutabilem agnovit. Namque sunt ideae principales, formae quaedam vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quae formatae non sunt, ideoque aeternae, ac semper eodem modo se habentes, quae in divina intelligentia continentur. Quod ad minorem superioris argumenti. Cognitio veritatis reponitur in adaequatione rei et intellectus, quatenus intellectus dicit esse quod est, et non esse quod non est; ergo veritas innitur in essentiis rerum, quae sunt immutabiles. Ad rem S. Thomas docebat: Rerum immutabilium sunt immobiles habitudines, sicuti Socrates, etsi non semper sedeat, tamen est immutabiliter verum, quod, quando sedet, in uno loco manet. Quare nil prohibet, quominus de rebus mobilibus immobilem scientiam habeamus. Idem S. Doctor docet: Potest etiam de generabilibus et corruptibilibus esse aliqua scientia, puta naturalis, non secundum particularia, quae generationi et corruptioni subduntur, sed secundum rationes universales, quae sunt in necessitate et semper. Ergo est dicendum: si scientia in immutabilitate consistit, veritates scientiae sunt immutabiles. Praestat tamen nonnullas absurdas huius systematis consequentias pessumdare. Hoc enim systema in scepticismum labitur. Namque procul dubio est, obiecta non eodem modo a variis hominibus percipi; immo idem homo diverso tempore, diverso modo idem obiectum percipit; ergo si verum est, quod cuique videtur, consequitur eandem rem modo esse veram, modo falsam, variorum hominum respectu, imo eiusdem hominis; atqui id scepticismum dicit; ergo hoc systema ad eiusmodi ducit errorem. Ad rem Augustinus (Solil.):

Verum est id, quod se ita habet, ut cogitari videatur, si velit possitque illud cognoscere; ergo non erit verum id, quod nemo potest cognoscere. Si autem falsum est, quod aliter ac est videtur; quid si alteri videatur hic lapis lapis, alteri lignum, eadem res et falsa et vera erit: quod certe nemo adfirmat. Ducit secundo ad nihilismum. Progressistae, duce Protagora, asserunt verum esse solum subiectivum. Animadvertendum autem est, quod omnis cognitio duo continet, subiectum cognoscens et obiectum cognitum; ergo si cognitio rerum est mensura earum, unaquaqueque res ideo erit, quia cognoscitur, et ideo rerum existentia erit tantum relativa, non absoluta; atqui id nihilismum dicit; ergo etc. Augustinus rem nostram confirmat (Solil.): Si dicis nihil esse verum, non times ne sequatur, ut nihil sit per se? Unde enim lignum est hoc, inde etiam verum lignum est. Nec fieri potest, ut per seipsum, idest sine cognitore, sit lignum, et non sit verum lignum. Denique hoc systema ad pantheismum ducit. Sic enim Eusebius argumentatur: Si, iuxta Protagoram, nullum est discrimen inter plus minusve, in omni genere rerum, inter necessarium et contingens, inter naturale et praeternaturale; ergo unum fit, quod est et non est. Nam evenire potest, ut idem cuique videatur ens, alteri non ens. Dein S. Thomas (q. XVI): Mutabilitas, inquit, veritatis est consideranda circa intellectum. Cuius quidem veritas in hoc consistit, quod habeat conformitatem ad res intellectas. Quae quidem conformitas variari potest dupliciter, sicut et quaelibet alia similitudo ex mutatione alterius extremi. Unde uno modo variatur veritas ex parte intellectus ex eo, quod de re eodem modo se habente, aliquis aliam opinionem accipit, alio modo in opinione, quae eadem manet, res mutatur. Ex utroque modo fit mutatio de vero in falsum. Si ergo sit aliquis intellectus, in quo non possit esse alternatio opinionum, vel cuius acceptionem res aliqua subterfugere non potest, in eo est immutabilis veritas. Talis autem est intellectus divinus, ut ex superioribus patet; unde veritas divini intellectus est immutabilis. Veritas autem intellectus nostri est mutabilis, non quod ipsa sit subiectum mutationis, sed in quantum intellectus noster mutatur de veritate in falsitatem; sic enim formae mutabiles dici possunt; atqui progressistae adfirmant veritatem esse subiectam mutationi; ergo etc. Accedunt et alia argumenta: Mens humana res cognoscit ope discursus non intuitus, unde uno ictu oculi minime potest apprehendere omnia vera, nec idem verum completissime; ideoque scientia potest omnino progredi sive in vestigando novo vero, sive in perfecta notitia veri iam cogniti. Ad rem S. Thomas: Ad hominis na-

turam, inquit, pertinet ratione uti ad veritatis investigationem. Rationis autem est proprium non statim apprehendere veritatem, et ideo ad hominem pertinet paullatim in cognitione veritatis proficere. Scientiae tamen progressus non debet esse continuus, potest enim aliquando interrumpi. Historia enim nobis testatur, humanum genus aliquando in barbariem fuisse delapsum. Id Progressistae non diffitentur, sed asserunt haec esse quaedam accidentia, quae occulte ducunt ad progressum indefinitum. Sed ipsi videant, nos autem dicimus, quod, sicuti homo in sua scientia, nisi sedulam adhibeat curam, non solum haud progreditur, verum etiam cognitiones comparatas amittit; ita quam plurima possunt humani generis progressum impedire. Ad rem confirmandam S. Thomas accedit: Eorum, quae bene se habent ad aliquid comprehendendum, videtur tempus esse quasi adinventor vel bonus cooperatur; non quidem quod tempus per se aliquid ad hoc operetur, sed secundum ea, quae in tempore agantur. Si quis enim, tempore procedente, dat operam investigandae veritati, iuvatur e tempore ad veritatem inveniendam, et quantum ad unum et eundem hominem, qui postea videbit quod prius non viderat; et etiam quantum ad diversas homines, utpote cum quis intueatur ea, quae sunt a praecessoribus inventa, illisque aliquid novum superaddit. Atque hoc modo facta sunt additamenta in artibus, quarum initio aliquid modicum fuit inventum, et postmodum per diversos paullatim processit in magna quantitate, quia ad quemlibet pertinet superaddere id, quod deficit in consideratione praecessorum. Si enim e contrario exercitium studii praetermittatur, tempus magis est causa oblivionis, et quantum ad unum hominem et quantum ad diversos. Unde videmus multas scientias, quae apud antiquos paullatim viguerunt, paullatim, deficientibus studiis, in oblivionem abisse. Studium autem historiae multum confert ad obtinendum scientiarum progressum. De re hac accurate disseruit Aristoteles in suis *Metaphysicae* atque *naturae* libris, merito commendatus per A. Jacques: Aristote considéré comme historien de la philosophie. Patres vero atque scholastici miram operam navarunt, ut, scrutatis veteribus philosophis, verum a falso nobilissime decernerent. Qua de re progressistae, spretis traditionibus scientificis, contenderunt male, scientiam in omni generatione exordiri, dum e contra viam vero progressui in re praecludebant.

